



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Disputatio XXX. De perfectione scientiæ acquisitæ animæ Christi, & modo
quo illam obtinuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

ignam quidem non requiritur lumen angelicum, sed sufficit A
lumen intellectus agentis: ex impressione vero superiori se-
cundum scientiam infusam, quam est immediate adeptus a
Deo. Sicut enim supra communem modum creature anima
illa unita est Verbo in unitate personæ, ita supra communem
modum hominum, immediate ab ipso Dei Verbo repleta est
scientia & gratia. Non autem mediante angelis, qui et-
iam ex influenza Verbi, verum scientiam in sui principio
Lib. 1. cap. 8. acceperunt, sicut in 2. super Genes. ad litteram Augustinus*
dicit.

b Ad primum ergo dicendum, quod illa confortatio angeli
non fuit per modum instructionis, sed ad demonstrandam
propriam humanam naturam. Unde Beda dicit super Lu-
cam*. In documento virtutis nature, & angelus imini-
strasse, & eum confortasse dicuntur. Creator enim creatura
sua non eget presidio, sed homo factus sicut propter nos tristis
est, ita propter nos confortatur, ut scilicet, in nobis fides in-
carnationis ipsius confirmetur.

Ad secundum dicendum, quod Dionysius dicit, Christum
fuisse formationibus angelicis subiectum, non ratione sui-
plius, sed ratione eorum, quæ circa eius incarnationem age-
bantur, & circa manifestationem eius in infantili ætate con-
stituti. Unde ibidem subdit, quod per medios angelos nuntia-
tur Ioseph a Patre, dispensata Iesu ad acceptum recessio, &
rursum ad Iudeam de Aegypto traditio.

Ad tertium dicendum, quod Filius Dei assumpsit corpus
passibile (ut infra dicitur*) sed animam perfectam scienti-
æ & gratiæ. Et ideo corpus eius convenienter fuit subiectum
impressioni celestium corporum, anima vero eius non fuit sub-
iecta impressioni celestium spirituum.

COMMENTARIUS.

Negat D. Thomas, Christum ab angelis ali-
quid didicisse, & optima videtur coniectura, quia
neque quoad naturalem cognitionem indiguit lu-
mine angelico, proprium enim illi sufficiebat: ne-
que ad supernaturalem, seu infusam cognitionem,
quia sicut illa anima proxime fuit Verbo coniuncta
ita per illius immediatum influxum huiusmodi scienti-
am accepit. Adde, rationem præcedentis articu-
li etiam ad hanc conclusionem applicari posse, quo-
niam Christus non solum hominum, sed angelo-
rum etiam Doctor existit, teste Dionysio c. 6. de celest.
hierar. ubi ait, Christum angelos illuminare; nun-
quam ergo ab illis illuminatus est.

b In solutione ad primum tractat D. Tho. locum
illum Luc. 22. Apparuit autem illi Angelus de celo con-
fortans eum, qui dupliciter a Patribus exponitur. Pri-
mo minus proprie, & quasi per quandam metapho-
ram, ut, scilicet, illud confortare, non significet, ani-
mare, seu ad fortiter agendum excitare, sed potius
fortitudinem Christi prædicare, sicut nos dicimur
magnificare Deum, cum magnitudinem eius præ-
dicamus. Ita exponit Chrysost. tom. 5. hom. de Tri-
nitate, Epiphanius heres. 69. qui dicit angelum confor-
tasse Christum quasi admirando fortitudinem eius,
& laudando, & dicendo: Tua est potentia Domine, tua
est fortitudo, &c. sequitur Theophylactus. Luc. 22. Se-
cundo proprius, & (ut ego existimo) magis ad rem
exponitur, angelum confortasse Christum propo-
nendo rationes, quæ possent tristitiam eius lenire, &
inferiorem portionem confortare: unde non fit, an-
gelum docuisse Christum, non enim propterea ad
illum eum sermonem habuit, quia Christus eas ra-
tiones ignoraret, vel illas per se considerare non pos-
set, sed quia ita per rationem superiorem illas consi-
derabat, ut nullum inde solatium communicari permit-
teret inferiori parti, & ut magis cõstaret veritas pas-
sionis eius, voluit angelico ministerio rationes illas
proponi, & quasi in memoria revocari. Et hoc mo-
do dicitur Angelus, quantum in se erat, confortasse

Christum quamquam ipse neque illud consolationis
genus acceptare visus sit, statim enim factus in agonia
prolixius orabat. Et hanc expositionem magis indicat
D. Tho. hic quam ex Beda refert, Luc. 22. sed est et-
iam Hier. dialogo secundo contra Pelagionem, Hil.
lib. 10. de Trinitate, Cyril. Alexand. epist. 9. Dam. lib.
3. de fide, c. 20. & Bern. serm. 1. de sancto Andrea.

D. Thom.
Beda.
Hier.
Hilar.
Cyril.
Damasc.
Bernard.

DISPUTATIO XXX.

In duas Sectiones distributa.

De perfectione scientiæ acquisitæ animæ Christi, &
modo, quo illam obtinuit.



Rursusquam inquiramus modum, quo
scientiam hanc anima Christi compa-
ratit explicandum est, in quo perfe-
ctionis gradu illam habuerit, nam ex
hoc principio, illud maxima ex parte
pendet. In perfectione autem huius scientiæ expli-
canda, possemus eundem ordinem tenere, quem in
disputationibus de scientia infusa secuti sumus, sed
quia præsens materia clarior est, brevius illam expedi-
diemus. Supponimus enim, hanc scientiam esse e-
iusdem rationis essentialis & specificæ cum scientiâ
connaturali animæ humanæ, ut ex ipsis terminis
constat, & ex supra tractatis disp. 15. sect. 2. Unde sit,
eodem modo philosophandum esse de obiecto, a-
ctibus, speciebus, & habitibus eius scientiæ in Chri-
sto, ac in aliis hominibus, quod ad essentialem per-
fectionem attinet, seclusa imperfectione opinionum,
& iudiciorum incertorum, quæ in anima Christi
locum non habuerunt, ut supra diximus. Solum er-
go superest, ut inquiramus perfectionem huius sci-
entiæ secundum extensionem ad plura, vel paucio-
ra obiecta materialia, & secundum dependentiam
à corpore corruptibili.

SECTIO I.

Virum Christum per hanc scientiam cognoverit o-
mnia, quæ naturaliter cognosci possunt ab anima
humana, tam coniuncta, quam separata.

Quesitio hæc procedit de Christo in statu viæ, nunc
enim dubium non est, quin hæc omnia per hanc
scientiam cognoscit, quia anima propter comuni-
cationem ad corpus gloriosum non impeditur, quo-
minus perfecte cognoscere possit omnia, quæ co-
gnoscit separata. De statu autem viæ est clara sen-
tentia Divi Thomæ in his articulis, Christum so-
lum cognovisse per hanc scientiam ea, quæ ex sensi-
bilibus obiectis per abstractionem, & efficientiam
intellectus agentis cognosci possunt, & loquitur co-
sequenter, quia supponit, Christum solum propria
inventionem hanc scientiam acquisivisse. Et confir-
mari potest, quia Christus dependebat in usu huius
scientiæ à phantasmatibus; nam hic est naturalis
modus operandi scientiæ naturalis seu acquisitæ;
Ergo solum per hanc scientiam cognoscere poterat,
quæ in phantasmatibus repræsentantur, vel ex illis
cognosci possunt.

Dico tamen primo, Christum per hanc scientiam
cognovisse omnes res naturales, tam materiales,
quam immateriales, & tam substantias, quam acci-
dentia, ea perfectione, qua ab anima, tam coniuncta,
quam separata, naturaliter cognosci possunt. Hanc
conclusionem intelligo de his rebus, quæ proprie sub
scientiam cadunt (ut omittamus singularia materia-
lia, & contingentia, de quibus scet. sequenti dicam)
quam tamen non inuenio ita distincte explicatam à
Theologis loquentibus de hac scientia; sumitur ta-
men aperte ex illis autoribus, qui, cum negent habuisse
Christum scientiam per se infusam respectu rerum
naturalium, affirmant tamē, à principio illas omnes
perfe-

Lib. 1. cap. 8.
1007.

Lib. 6. in
Luc. c. 9. 2.
cundum o.
an. Beda.
ante 16.
1008.

Quæst. 14.
art. 1.

Luc. 22.

Chrysost.
Zyphani.

Theophyl.
Angelus
qualiter in
coram Chri-
sto con-
forat.

*Christus per
scientiam ac-
quisitam
non habet
naturales
rationes.*

perfecte cognouisse per scientiam hanc per accidens infusam. Ratione vero, primo generatim, suaderetur, quia anima Christi à principio habuit omnem perfectionem sibi debitam ratione vnionis vel beatitudinis, cuius carentia necessaria, aut vtilis non fuit ad nostram redemptionem, sed tota hæc perfectio scientiæ est illi debita ratione beatitudinis, & vnionis, vt per se constat, & eius carentia redemptioni hominum nihil conferebat, neque necessario sequebatur ex eo, quod anima illa informaret corpus corruptibile, nam (vt D. Thomas docuit quæstione 11. articulo 1. ad secundum, & articulo 2.) anima Christi, quamuis esset in corpore corruptibili, in hoc tamen retinuit conditionem animæ beatæ, quod non fuit ita subdita suo corpori, vt ab eo dependeret, sed illi omnino dominata est, ergo, etiam dum erat in illo corpore, fuit capax omnis prædictæ perfectionis huius scientiæ, ergo illam habuit.

Secundo in particulari hoc declaratur & probatur tali discursu: nam primo negari non potest, quin Christus per hanc scientiam cognouerit materiam substantiam proprio, & absoluto conceptu, prout in se est, nam etiam D. Thomas hic articulo 1. ad secundum dicit, Christum per hanc scientiam comprehendisse virtutes corporum celestium, & effectus, quos habent in istis inferioribus: impossibile autem est comprehendere virtutem celi, substantiam eius non plene perspecta. Et cõfir. natur hoc, quia alias vnde imperfecte cognouisset anima Christi substantias rerum materialium cognitione naturali, quam diu fuit in via, quod videtur satis absurdum: at vero propria cognitio substantiæ, etiam materialis, non potest comparari ab anima coniuncta corpori corruptibili ex vi sensibilibus phantasmatum, vt ex scientia de Anima, & ex Metaphysica suppono, habuit ergo anima Christi, etiam existens in corpore corruptibili, illam cognitionem naturalem substantiæ materialis, quam anima separata, vel coniuncta corpori glorioso, habere potest. Secundo non videtur posse dubitari, quin anima Christi in statu viæ se per se ipsam cognoscere, & intueri potuerit eo modo, quo anima separata, vel angelus suam substantiam per ipsammet naturaliter intuetur. Probatur ex eodem principio, quia anima Christi, etiam in statu viæ, non erat subiecta, nec pendens à corpore, sed naturale est animæ non impediri à corpore se intueri, & cognoscere hoc modo, ergo. Tertio hinc sic valde verisimile, potuisse etiam animam Christi in statu viæ intueri omnes substantias separatas, prout in se ipsis sunt, eo naturali modo, quo ab anima separata cognosci possunt. Probatur, quia est eadem ratio; anima enim, quæ est capax cognitionis suæ propriæ substantiæ spiritualis, prout in se est, est etiam capax similis cognitionis aliarum creaturarum substantiarum spiritualium, anima autem Christi fuit à principio perfecta secundum totam capacitatem suam naturalem. Ex his ergo omnibus satis cõcluditur, cognouisse animam Christi in statu viæ omnia, quorum naturaliter capax est anima humana in quocunque statu constituta.

Dico secundo. Anima Christi in corpore corruptibili potuit habere naturalem cognitionem, seu scientiam intellectualem, sine conuersione ad phantasmata. Hæc conclusio sequitur aperte ex præcedenti, non enim potuisset illa anima in eo statu cognoscere se ipsam, aut alias substantias, præsertim spirituales, prout in se sunt, si in ea cognitione omnino à phantasia dependeret. Hæc enim ratione animæ aliorum hominum non possunt intueri se ipsas, quia cognoscere non possunt sine conuersione ad phantasmata. Ratio vero sumenda est ex supra dictis, quia hæc dependentia oritur ex quadam subiectione, seu quasi alligatione animæ ad corpus: at vero anima Christi, tum ratione vnionis, tum ratione beatitudinis, quamuis informaret corpus cor-

ruptibile, non tamen illi fuit alligata, nec subiecta, & ideo, etiam in eo statu, retinuit vim operandi actus intellectus & voluntatis, etiam naturales, sine corporis consortio aut dependentia. Et confirmatur, quia non repugnat, animam Christi habuisse hanc perfectionem, & alioqui illi debita erat ratione vnionis, & beatitudinis, & illius carentia non erat nobis necessaria, ergo.

Dices, videri nos confundere scientiam per se infusam cum hæc acquisita, nam cognoscere substantias separatas, prout in se ipsis sunt, & operari sine conuersione ad phantasmata, videtur esse proprium scientiæ per se infusæ. Respondetur, non confundi has scientias, quamuis in aliqua conditione aliquo modo conuenire possint: scientia enim per se infusa dicta est à nobis quædam scientia diuini & supernaturalis ordinis, per quam, non solum res supernaturales, sed etiam naturales, supernaturali modo cognoscuntur: vnde illa scientia dicitur per se infusa, non solum ratione specierum, sed etiam ratione luminis, & quia omnino est supra conditionem anime humanæ, tam coniunctæ, quam separatæ. At vero hæc scientia, de qua modo agimus, est conaturalis humanæ naturæ, & licet attingat res spirituales eo modo, quo anima humana potest illas naturaliter cognoscere, tamen, etiã quoad hoc, est inferioris rationis, quam scientia per se infusa: vnde ad hanc cognitionem non requiritur aliud lumen, præter illud, quod naturale est animæ humanæ. Requiritur autem species per se quidem infusa, tamen ordinis naturalis, quales infunduntur animæ separatæ, iuxta naturalem conditionem eius, quæ omnino diuersæ sunt ab speciebus alterius scientiæ, vt ex supra dictis facile constat. Et hinc etiam possunt hæc duæ scientiæ in hoc conuenire, quod Christus potuit vtraque vti sine conuersione ad phantasmata: quia hæc conditio non solum oriri potest ex propria & specifica conditione scientiæ infusæ, & supernaturalis, sed etiam ex conditione seu statu ipsius subiecti, seu animæ beatæ, perfecte dominantis corpori suo, vt ex doctrina etiam D. Thomæ satis declaratum est.

SECTIO II.

Utrum anima Christi habuerit hanc naturalem scientiam infusam à Deo à primo instanti creationis sue.

Prima sententia negat, habuisse animam Christi hanc scientiam à principio, seu infusam, sed discursu temporis eam propria inuentione acquisiuisse absque hominis magisterio, seu doctrina: est enim inter hos duos modos differentia, quia in inuentione obiecta solum ministrant species, quibus habet, homo per se discurret, & propriam virtutem exercet, & se ipsum perficit, & quasi docet, & illuminat; at vero in disciplina illuminatur homo ab alio, & quasi dirigitur in discursu, seu cognitione, quod quandam dicit imperfectionem, cum tamen illud primum ad perfectionem spectet. Hæc est sententia Diui Thomæ supra quæstione 9. artic. 4. & tota hæc quæstione; quibus locis, Caietanus & alij Thomistæ hanc sententiam defendunt, & Capreolus in 3. dist. 14. Citantur etiam Maior in quæst. 5. Marfilus quæst. 10. sed loquuntur aperte de scientia experimentalis, de qua est diuersa ratio, vt statim dicam. Fundamentum Diui Thomæ est, quia alias intellectus agens frustra fuisset in Christi anima, caruisset enim propria operatione, scilicet abstractione specierum, si anima Christi à principio illas infusas habuisset. Et confirmari potest primo, quia perfectus est à se ipso, & per propriam actionem habere perfectionem propriam, quam ab alio eam recipere. Vnde Aristot. 1. Ethic. cap. 4. ex Heliado. ait, Optimus ille quidem est, ex se

Qui omnia nouit. Dicunt aliqui, potuisse à principio habere hanc scientiam, & per proprios actus. Sed hoc verisimile non est, ut supra in simili diximus de virtutibus moralibus acquisitis. Oportuisset enim statim in primo instanti conceptionis habere actus scientiarum omnium, & circa obiecta omnia, quæ ad perfectionem habitus sufficerent, hoc autem fine multis, & non necessarijs miraculis excogitari non potest. Et præterea interrogo, an habuerit Christus in eo instanti infusas species omnium illorum obiectorum, vel illas à phantasmatibus abstraxerit. Si dicatur primum, cur non dicitur idè de habitib⁹, cum sit eadem ratio? si vero secundū asseratur, quomodo id fieri potuit in ea ætate, & dispositione sensuum, & in vtero matris, & vnicō momento? certe necessarium est multa confingere, sine causa probabili, non potuerunt ergo hæ scientiæ acquiri, & in primo instanti haberi. Confirmo secundo, quia alias Christus infans, non vere, sed simulate operatus esset, ut infans, & ut puer, quod est contra hui⁹ mysterij veritatem. Confirmatur tertio, testimonio illo Luc. 1. ubi Christus dicitur professisse scientiā, quod cum non poterit vere dici ratione scientiæ beatæ, vel infusæ, necessario videtur secundum hanc scientiam intelligendum. Præsertim, cum ita videantur exponere sancti Patres, Ambr. lib. de Incarnatione Domini, sacramento, c. 7. & lib. 5. de fide, ca. 7. & Cyrillus lib. 2. de fide ad Reg. ca. 3. Theod. in epitome diuinorum decret. cap. Quod suscepit animam cum corpore. Ricardus de sancto Victore 1. libr. de Emanuel, cap. 15. & 16. & lib. 2. capite 18. Laurentius Iustinianus libro de sacro connub. Verbi & animæ, capite 10. Quod si contra hanc sententiam obijciatur, quia ex illa sequi videtur, Christum aliquo tempore habuisse humanam ignorantiam, quatenus excludit naturalem scientiam humanam, respondendum est, quamuis non omni tempore omnia sciuerit, quæ per hanc scientiam sciri possunt, propriè tamen nullam habuisse vnquam ignorantiam, quia singulis temporibus, & ætatibus omnia sciuit, quæ pro illo tempore vel ætate scire naturaliter poterit, & debebat, ut supra circa textum Diui Thomæ explicatum est. Et hæc sententia sic exposta est probabilis. Si tamen, quæ sectione præcedenti dicta sunt, considerentur, consequenter defendi non potest, & id eo in memoriam renouandum est, quod supra, disputatione 25. sectione secunda dixi, sub hac scientiā naturali comprehendendi posse, & experimentalem cognitionem, & propriam scientiam ex proprijs principijs procedentem.

Dico ergo primo, Christi animam à principio conceptionis suæ habuisse perfectos omnes habitus scientiarū, & virtutum intellectualium, cum speciebus ad vsum eorum necessarijs. Hæc est communior sententia, quam etiam tenuit D. Thom. quæst. 20. de verit. articulo 2. & in dist. 14. articulo 3. quæst. 1. articulo 3. quæst. 2. Bonauent. articulo 3. quæst. 2. Gabriel, Scotus, Durandus, & Alensis. 3. part. quæstione 13. & alij: qui in Christi anima ponunt scientiam per accidens infusam, similem illi, quam Adam habuit. Et possunt pro hac sententiā referri sancti Patres illis locis, quibus simpliciter negant, Christum humanam scientiam professisse, ut Damascen. lib. 3. de fid. cap. 22. & in oratione, seu libro. *Quomodo ad imaginem Dei facti sumus*: ubi negat Christum professisse, tam in scientiā diuinā, quam humanā, & per scientiam diuinā videtur intelligere scientiam supernaturalem, loquitur enim de scientiā creata, per humanam vero scientiam, consequenter intelligere scientiam naturalem. Et eodem modo loquitur Bernard. homil. 2. in *Misus est*, & Beda tom. 7. homil. Dominicæ primæ post Epiphaniā, Theophylactus, Euthymius, Lyranus, & alij, Luc. 2. & alios statim referam. Ratione probatur primo ex dictis in præcedenti sectione, nam in primis, si

Fr. Suarez, Tom. 1.

A Anima Christi in statu viæ potuit se ipsam propriā cognitione naturali per propriam substantiam cognoscere, ergo à primo instanti creationis suæ hoc potuit: quia, cum in ea cognitione non penderet à corpore, ætas, aut organorum dispositio, nihil ad eam referebat, ergo ab eodem primo instanti hanc cognitionem seu scientiam habuit, nam substantiā spiritualis, potens se cognoscere, & non impedita, actu se intuetur, & considerat naturali cognitione. Et simili fere argumento concludi potest, ab eodem instanti habuisse infusas species ad cognoscendas substantias angelicas eiusdem rationis cum illis, quæ veluti naturaliter infunduntur alijs animabus cum à corporibus separantur. Ostensum est enim, habuisse animam Christi hanc scientiam in statu, viz, sed non est maior ratio de quodam tempore illius status, quam de alio, neque cur aliquo tempore differretur infusio talium specierum, cum neque illæ, neque illarum vltus à dispositione corporis pendeat. Et hinc fit vltius, etiam à principio habuisse proprias species aliarum etiam substantiarum materialium, propter easdem rationes, quæ simili proportionem applicari possunt. Vnde tandem fit, omnium etiam aliarum rerum naturalium scientiam ab eo instanti fuisse illi datam, tum quia fere est eadem ratio, tum etiam quia cognitis substantijs propria & perfecta cognitione, facile cognoscuntur accidentia. Secundo arguitur illa ratione sæpe inculcata, quia licet hæc scientia non debeatur animæ, seu naturæ humanæ secundum se, tamen ratione vnionis debetur naturæ assumptæ: postulat enim personæ assumptionis dignitas, ut natura assumpta sit omnino perfecta, non solum supernaturali, sed etiam naturali perfectione, & præsertim intellectus, quæ est potissima facultas talis naturæ: & carere ad temp⁹ hac perfectione, non fuit ad finem redemptionis necessarium, ergo.

C Dices, fuisse necessarium propter maiorem perfectionem illius animæ, scilicet, ut per se ipsam talem scientiam acquireret. Sed hoc falsum est primo, quia melius est, nunquam carere aliqua perfectione, etiam si à Deo solo recipienda sit, quam carere illa aliquo tempore, ut per proprios actus obtineatur, quia hoc fere nihil perfectionis addit, ut in simili dixit Diuus Thomas infra, quæstione 19. articulo tertio. Præsertim, quia quacunque ratione Christus hanc scientiam infusam habuerit, à se illam habere dicendus est, non tanquam aduentitiam, sed tanquam proprietatem connaturalem ratione vnionis, sicut de gratia & alijs donis in superioribus dictum est. Quod secundo ita declaratur, & confirmatur, quia si Christus assumpsisset humanam naturam in statu per se debito vnioni, sine defectibus, quos propter nostram redemptionem in corpore assumpsit, sine dubio assumpsisset illam perfectam hac scientiā, sicut reliquis perfectionibus: ergo & nunc de facto ita illam assumpsit cum hac perfectione, ex illo principio, quod carentia huius scientiæ, neque est necessario coniuncta cum corpore passibili, nec per se confert ad finem redemptionis. Tercio, hac ratione habuit virtutes morales naturalis ordinis, non acquisitas proprijs actibus, sed à principio infusas, & hoc fuit illi simpliciter meli⁹, ut supra ostensum est, ergo similiter, &c. Vnde arguitur quarto, quia si habuit virtutes morales perfectas, ergo & prudentiam, quæ est auriga reliquarum virtutum, sed prudentia perfecta, cum constet in practica cognitione, supponit perfectam cognitionem speculatiuam, non tantum primorum principiorum, sed etiam vniuersalium conclusionum, à quibus iudicium in singulis euentibus pendet, ergo habuit moralem scientiam horum omnium: ergo & habuit cæteras scientias, non enim ad alias erat magis impeditus, neq; vna scientia potest sine consortio aliarum esse omni ex parte perfecta, sunt enim quodammodo

Rr do con-

Prudentia
auriga virtutum.

D. Thom.
Palud.
Bonauent.
Gabr.
Sci.
Durand.
Alens.
Damasc.
Bernard.
Beda.
Theophyl.
Euthym.
Lyran.

Omnis sci-
tia in Chri-
sto ab insti-
tu conceptionis.

August.

do connexæ, sicut virtutes. Quinto, quia Christus à principio potuit uti ratione, nō tantum in supernaturalibus actibus, sed etiam in naturalibus, ut ex omnib⁹ dictis in hac disputatione facile intelligi potest. Et ex ijs etiam, quæ supra, quæst. 9. artic. 1. tractauimus ex Augustino 2. de peccatorum meritis, cap. 29. ubi docet, in Christo infante non fuisse illud impedimentum vñs rationis, quod est in alijs paruulis, quia est magna imperfectio, redemptioni nostræ minime necessaria, illud autem impedimentum in alijs infantibus est in vñs rationis naturalis. Fuit ergo anima Christi à principio expedita ad huiusmodi vñs, ergo oportuit, ut ad illum fuerit etiam perfecte disposita per habitus scientiarum naturalium. Vltimo tandem, quia alias non potuisset Christus habere has sciētias omni ex parte perfectas, ut omitam, non admodum deuisse, Christum inueniendis & inquirendi huiusmodi scientijs operam dedisse.

Antecedens patet primo, quia discursus humanus in huiusmodi scientijs, quodammodo in infinitum procedit, ut in Mathematicis constat. Secundo, quia non potuit Christus breui tempore vitæ, proprio discursu inuenire omnia, quæ sub humanam scientiam cadere possunt, quia non poterat omnia experimenta dignosci, à quibus hæc scientia realiter accipi potest. Marfilius 3. quæstio. 10. articulo tertio, non dubitauit propter hæc concedere, hanc scientiam in Christo non fuisse omni ex parte perfectam: sed non recte, tum quia Adam habuit illam perfectam, quid nī igitur Christus? tum etiam, quia hæc est perfectio simpliciter humanæ naturæ, tum denique, quia alias habuisset anima Christi aliquam naturalem ignorantiam. Aliter ergo respondet Dñs Thomas, viso vno indiuiduo, potuisse Christum propter excellentiam ingenij sui, ex illo alia cognoscere, vel contraria, vel similia, & viso cælo, potuisse illud comprehendere, & omnem eius virtutem. Sed hoc excedit naturales vires ingenij humani, etiam si sit sermo de visione experimentalī (ut Caietanus exponit) quia tota cognitio, quæ hinc elicipotest, non excedit virtutem & efficaciam earum specierum intelligibilium, quæ ex sensibilibus, & phantasmatibus erui possunt: sed per has nunquam potest deuenire ingenium humanum ad comprehendendum totam virtutem corporis celestis, quia nec potest experiri omnes eius effectus, neque aliquos, in quibus alij virtute contineantur, quia fere in infinitum procedere possunt, & sunt valde dissimiles, ac denique in ipsis motibus cælorum multa sunt, quæ humana inuentione nullus assequi potest, nisi diuturni tēporis obseruatione, quæ in Christo homine locum non habet.

Multoque minus poterant illæ species sufficere ad comprehendendas quasdam res ex alijs, ut substantias ex accidentibus, vnam substantiam ex alia simili, vel vnum contrarium ex alio, tum quia species, quæ naturaliter possunt abstrahi ex accidentibus sensibilibus, non representant substantias, prout in se sunt, sed tantum per improprios & connotatiuos conceptus, qui non sufficiunt ad perfectam rei cognitionem, nedum ad comprehensionem: tum etiam quia neque angelus potest vnam substantiam perfecte cognoscere per solam similitudinem, quam habet ad aliam: alioqui non indigeret proprijs speciebus singularum, sed per speciem vnius posset alias comprehendere, quod est plane falsum. Et ratio est, quia similitudo non est in propria & specifica differētia: & ideo ex vi solius naturalis similitudinis non potest vna substantia comprehēdi ex cognitione alteri⁹. Quocirca his & similibus rationibus conuinci videtur, non potuisse Christum acquirere perfectam scientiam earum rerum, quas nō est perfecte expertus quoad omnes earū proprietates, & effect⁹, nedum eas, quas nunquam vidit, neq⁹ vllō modo ex-

pertus est, ut sunt stellæ varię, & influentiæ eælorū, pisces maris, & similia.

Neque enim fat est, quod Capreolus addit, dist. 14. quæstione. 1. ad sextum, contra 2. conclusionem, & cū eo alij, potuisse Christū inuari scientia infusa ad perfectam scientiam connaturalem acquirendam. Hoc (inquam) non fat est, nam, licet illa scientia ad aliquam directionem iuuare posset, non tamen supplere propria ac per se principia, quales sunt species accomodate tali sciētig: neque etiam fieri poterat ratione illius scientiæ, ut ex vno principio naturali plures conclusiones inferrentur, quam in eo essent contentę: ergo non poterat efficere, ut ex proprietatibus vnius naturæ specifice, aliæ diuersę speciei cognoscerentur exactę, nec ut per solas species accidentium, ad proprios cōceptus substantiarum perueniretur.

Quapropter addit Caietanus, ministerio angelorum applicata esse sensibus Christi omnia obiecta necessaria ad perfectam harum scientiarum inuentionem & acquisitionem. Sed hoc etiam est fine fundamento excogitatum, & vix potest commode declarari. Nam, vel illa applicatio adhibenda erat sensibus externis, & sic oportebat, obiecta omnia localiter applicari Christi sensibus, & in illos, vel coram illis, omnes actiones suas exercere, quæ ad suæ virtutis manifestationem sufficerent, quod quidem simul fieri non posset sine magnis miraculis, successe autem vix longo tempore finiretur, & indignum est Christum multum temporis huic studio & occupationi dedisse. Ut omittam, fictitium esse cogitare, reconditas cæli stellæ, aures omnium regionum, pisces maris & omnium fluminum, & similia, fuisse sensibilibus ad Christum adducta, ut ab eis scientiam acciperet. Vel illa applicatio faciēda erat solum interius per phantasmata talium rerum, & hæc non possunt immediate infundi ab angelis, sed per applicationem obiectorum verorum aut apparentium: oportebat ergo, aliqua supernaturali virtute fieri: facilius ergo dicitur, infusa fuisse à Deo, multoque facilius & probabilius idem dicitur de speciebus intelligibilibus, atque adeo de habitibus ipsis. Denique, quacunque ratione fingatur hæc abstractio specierum facta ab obiectis, medijs phantasmatibus, non poterant illæ species sufficere ad formandos proprios & absolutos conceptus substantiarum prout in se sunt, & consequenter nec ad exactam earum scientiam acquirendam.

His ergo rationibus aliqui conuicti fatentur, hanc scientiam fuisse per accidens infusam, quoad ea obiecta, quæ Christus Dominus suis sensibus expertus non est, aut ex his, quæ expertus est, diiudicare non poterat virtute naturali, nihilominus tamen, quoad alia obiecta, quæ per experientiam cogniturus erat, & ab eis poterat facile scientiam acquirere, non habuisse illam infusam, sed propria inuentione illam acquisiuisse. Qui autores non loquuntur de sola scientia experimentalī, de qua statim dicemus, sed de propria scientia rerum naturalium, quoad proprias essentias específicas, & proprietates earum, & quoad proprios habitus intellectuales, quibus de eis iudicatur ex proprijs principijs. In hoc autē sensu non probatur mihi illa scientiarū partitio, & (ut sic dicā) dimidiata infusio, ac partialis acquisitio. Primo quidē quia illa generalis ratio semper vrget, quod ad formandos proprios conceptus substantiarum omnium, oportuit, omnium earum specierum infundi, quia species, quæ sensibus acquiruntur, ad hoc non sufficiunt: nec acumen ingenij potest defectum speciei supplere, nam sunt principia diuersarum rationum, & vnumquodque est per se ac simpliciter in suo genere necessarium. Quod si omnium naturalium substantiarum habuit infusam scientiam: ergo & proprietatum earum & accidentium, quæ non sunt nisi propter substantias. Secundo, quia opera Dei

Dei sunt perfecta: ergo, si infudit animæ Christi has scientias, perfectas illas tribuit, tum in intensio-
ne, tum in extensione. Præsertim, quia hæ scientiæ quandam connexionem inter se habent, & vix separari possunt secundum partes. Nam, si sit sermo de habitibus propriis scientiarum, illi, ut ego existi-
mo, sunt indivisibiles extensivæ in entitate sua: unde non possunt per partes infundi, aut acquiri, si vero sit sermo de speciebus, credibile est, unicuique habitui datas esse omnes species proportionatas ad perfectum usum suorum actuum, quia est fere eadem ratio. Rursus, inter ipsos habitus aliqui sunt subordinati ex parte obiectorum, ut Philosophia naturalis, Metaphysicæ; unde non debuit illa sine hac infundi: & idem est de omnibus similibus scientiis, vel virtutibus intellectualibus, habentibus si-
milem connexionem, ut supra dicebam de prudentia respectu scientiarum moralium, & idem est de his respectu naturalium; & de his respectu ratio-
nalia, & sic de aliis. Denique, cum nulla sit neces-
sitas, nec sufficiens congruitas ad hanc partitionem coniungendam, & hoc, quod asserimus, simpliciter afferat perfectionem animæ Christi, valde consen-
taneam unioni, & aliunde non miscatur imper-
fectio vlla, neque in illo alio inventionis modo sit ali-
qua perfectio alicuius momenti, non est cur in illas angustias deueniamus, ut perfectam harum scientiarum infusionem, Christo denegemus.

Dico secundo, animam Christi non habuisse à principio creationis suæ eam humanam cognitio-
nem, quæ in experientia rerum consistit, atque ad-
eo successione temporis in hac profecisse. Hæc con-
clusio dupliciter intelligi potest; vno modo de ipso sensuum experimento, siue inde noua cognitio in intellectu generetur, siue præexistens tantum exer-
ceatur, & quodammodo applicetur ad operandum simul cum sensu. Et hoc modo est indubitata veri-
tas, quia constat, discursu temporis Christum multa vidisse, & audiuisse, gustasse, &c. quæ illis sensibus antea non receperat. Et ad hunc modum intelligi potest illud ad Hebr. 5. *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Non quia denuo virtutem obedientiæ didicerit, aut acquisiuerit; sed quia illam nouo modo exercuit, & illius effectum expertus est. Secundo modo intelligi potest conclusio, quod etiam in intellectu acquisiuerit Christus, mediis sensibus, nonam aliquam experimentalem cognitionem, & species intelligibiles ad illā necessarias, quas à principio non habuit: & hoc modo etiam est vera conclusio, & communis Theologorum in 3. dist. 14. & Marfil. questione 10. art. 2. capite 5. late illam prosequitur, & iuxta illam, interpretatur sententiam Diui Thomæ hic, & Bonauent. ibi, quos non existi-
mat in hac parte dissentire. Vnde ipse nullam aliam scientiam acquisitam ponit in Christo, præter hanc experimentalem; nam earum rerum, quas non est expertus, negat habuisse Christum scientiam acqui-
sitam, sed infusam tantum, quam proinde videtur ponere solum per accidens infusam, quare non recte adducit in suam sententiā Diuum Thomam, & eadem est sententiā Maioris, dist. 14. quæstio. 5. Bene autem aduertit Marfil. soluendo argumenta, Christum superasse alios homines in modo acquirendi hanc experientiam. Nam in aliis hominibus experi-
entia sit veluti inductione quadam, ex repetita me-
moriarum rerum sensu perceptarum, & quatenus per-
ceptæ sunt, ex Arist. lib. 1. Metaphysicæ. 1. & adhuc con-
tingit in eis esse experimentum fallax, ut dixit Hip-
pocrates in principio aphorismorum. At vero Chris-
tus ex vno singulari poterat perfectam experienti-
am acquirere, certamque & euidentem, tum propter ingenij acumen, tum propter concomitantiam, & directionem scientiæ infusæ.

Quod ergo potuerit Christus hanc cognitio-
nem acquirere, si præuentus, vel impeditus non fu-
erit, per se notum est, quia hoc pertinet ad perfectio-
nem naturæ; quod vero præueniri, vel non potue-
rit, vel non debuerit, ita declaratur. Nam ad hanc
experientiam non satis est, habere species rerum;
quæ sub experientiam cadere possunt, tota enim
hæc representatio, & cognitio potest esse sine expe-
rientia, ut fuit in Adamo in primo instanti creatio-
nis suæ: oportet ergo, loquendo de humana expe-
rientia, ut species representent illas res, quatenus
aliquando sub sensum ceciderunt, seu ut sint prin-
cipium cognoscendi, ipsas esse sensu percepas. Vnde
sic, potuisse infundi scientiam naturalium rerum
sine propria experientia, quia licet experientia ex
natura rei conferat ad acquirendam scientiam natu-
ralem; tamen ab illa non omnino, ac per se pen-
det: quia non in illa nititur tamquam in proprio prin-
cipio, sed solum est veluti quedam via, qua natura-
liter proceditur ab imperfecto ad perfectum: & ita
accidit in Adamo, quia in statu innocentie multa-
rum rerum scientiam habuit, quas pro eo statu ex-
periri non potuit. Secus vero est de experientia, nā
potius ex dictis fieri videtur, huiusmodi experimen-
talem cognitionem non potuisse infundi, sed solum
per ipsam experientiam acquiri: tum quia species,
quæ ad experientiam deferuntur, pertinent ad me-
moriam rei præteritæ seu iam cognitæ ut sic: hæ au-
tem species, ut vere representent, non possunt esse
omnino infusæ, sed debent esse aliquo modo reli-
ctæ ex præcedenti cognitione, ut in superioribus o-
stensum est. Quod maxime verum est in cognitione,
de qua agimus, quia nullum est medium naturale,
quod ostendat euidenter, rem fuisse, præter ipsam
experientiam sensus, media specie ab illa relicta;
tum etiam quia alias species infusa posset ducere in
falsam cognitionem, representando aliquid ut per
sensum perceptum, quod nunquam reuera sensu
cognitum sit. Vnde facile soluitur obiectio, si quis
dicat, illam speciem, quæ in intellectu resultat ex
cognitione ac experientia sensuum, potuisse à solo
Deo infundi, quia efficacia sua potest supplere de-
pendentiam, quam productio illius speciei natura-
liter habet à phantasmatibus: neque in hoc apparet
implicatio contradictionis. Respondetur tamen, si
solam omnipotentiam Dei spectemus, nullam cerni
in hoc repugnantiam, ut argumentum probat, si ve-
ro consideremus prouidentiam, & utilitatem talis
actionis, non esse consentaneam diuinæ prouiden-
tiæ: quia vel talis species infunderetur animæ Chris-
ti, ut illa vteretur secundum totam representatio-
nem eius, antequam res representata fieret, & sub
experientiam sensuum caderet, vel suspendendus &
impediendus erat eius usus, usque ad rei euentum,
& experientiam. Primum dici non potest, alias data
esset talis species ad deceptionem, quia per eam re-
presentaretur res ut præterita, & ut experimento
cognita, antequam reuera ita esset. Si autem dicatur
secundum superflua prorsus esset talis speciei infu-
sio, cuius usus omnino impediendus esset usque ad
rei euentum & experientiam.

Atque in hoc cernitur magna differentia inter
has species rerum singularium, quæ experientia-
li cognitioni deferuntur, & species, quibus scientia
vitur: nam harum usus semper fuit expeditus à
principio, illarum vero minime, usque ad sensibile
experimentum earum rerum, quæ per illas repræ-
sentantur: item species, quibus scientia vitur, in
sua representatione & cognitione abstrahit à tem-
pore, & à præcedente aliqua cognitione, at ve-
ro species, quæ experimento deferuntur, repræ-
sentant cum ordine ad tempus præteritum ut ta-
le est, & ad intuitivam seu sensibilem cognitio-
nem præteritam. Vnde tandem fit, ut species, quæ
deferuntur scientiæ, licet ex parte principij effi-
cientis, vel ex parte subiecti, non petant infun-
di homini à principio, & ex hac parte præter na-
turam

*Scientia ex
perimenta-
li non po-
tuit esse in-
fusa.*

*Scientia ex
perimenta-
li in Chris-
to equalis.*

*Discrimen
inter species
quæ scientiæ
& eas quæ
experimento
deferuntur.*

turam sit, infundi à Deo à principio conceptionis, A vel creationis hominis, tamen ex parte obiecti, quod repræsentant, & ex parte actus cognitionis, ad quem ordinantur, non est id præternaturale, quia obiectum illud ex se indifferenter se habet, vt tam in actu primo, quam in actu secundo, hoc vel illo tempore repræsentetur, siue sensu perceptum sit, siue non sit. At vero species, quibus experimentum elicitur, non solum ex parte principij & subiecti, sed etiam ex parte obiecti & actus, petunt generari ex præcedentibus actibus, & repræsentare in ordine ad illos, adeo vt non possint veram cognitionem elicere donec intuitiua seu sensibilis cognitio obiecti præcesserit, & ideo non debuerunt tales species infundi, sed acquiri, etiam si species scientiarum infuse essent. Cuius rei optimum exemplum habemus in Adamo, cui infusa fuerunt species ad scientiam, B non vero ad experientiam, & idem de angelis existimo, eo modo, quo in eis experientia locum habere potest, de quo alias.

Ex his ergo satis aperte constat ratio conclusio- nis, est enim huic generi cognitionis omnino intrinsecum, & ex parte obiecti quasi essentiale, vt per sensum acquiratur, & ideo mirum non est, quod à principio infusa non fuerit. Addo, experientiam proprie verari circa singularia, & non fuisse necessarium, vt anima Christi à principio habuerit infusas species naturales omnium indiuiduorum materialium, & effectuum contingentium, qui sub sensum cadunt, quia hoc neque ad perfectionem scientiæ, nec naturalis prudentiæ, videtur necessarium: potuit ergo acquirere species aliquorum singularium, & ita eorum experimentum comparare. Quæ ratio supponit, posse esse in intellectu speciem acquisitam, repræsentantem directe rem singularem. De qua re alio loco disputandum est.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, idem argumentum fieri posse in Adamo, qui à principio habuit omnes scientias, & virtutes naturales per se infusas, & tamen non propterea dicens est frustra habuisse intellectum agentem, & ratio multiplex reddi potest. Primo, quia non omnino caruit intellectus agens sua operatione in Christo, vel Adamo, quia (vt dictum est) potuit efficere species aliquorum singularium, & quæ sunt principium experientię. Caietanus addit, habere aliam operationem, scilicet, illustrandi prima principia per se nota. Sed (vt ego existimo) hoc non pertinet ad intellectum agentem, nisi quatenus efficit species repræsentantes terminos, seu res ipsas, nam reliqua cognitio fit ex virtute cognoscitiuæ ipsius intellectus possibilis. Secundo probabile est, intellectum agentem re ipse non distingui à possibili, qui exercebat operationes suas, & ideo non potest illa potentia dici frustra, sicut potentia generandi, vel ridendi, quāuis in Christo non habuerint actus proprios, vt sub his nominibus concipiuntur, & significantur (si verum est, Christum nunquam risisse, vt significauit Basilus in regulis fufius disput. in 17.) in re tamen non distinguuntur ab aliis, quæ habuerunt actus suos, vt potentia generatiua à nutritiua, & potentia risiua ab ipso appetitu, & potentia motiua secundum locum. Tertio, neutrum horum est necessarium, vt potentia aliqua non dicatur frustra esse, satis enim est, quod ex natura sua sit cōnaturalis alicui formæ, & ad perfectum statum & integritatem naturæ requisita, licet ex accidenti contingat, vt nunquā exerceat operationes, quia aliunde præuenitur. Quod maxime verum est, quando talis operatio ad perfectionem simpliciter non pertinet, & effectus eius potest aliunde melius suppleri.

Ad primam confirmationem iam responsum est, & explicatum, quomodo sit maior perfectio, habuisse semper hanc scientiam, quam propriis actibus illam acquisiuisse.

Ad secundam negatur, hinc sequi simulationem in actibus Christi infantis, nam vere habuit infantilia membra, & organa sensuum eo modo disposita, quem illa ætas postulabat. Vnde, quod erat ex parte virium humanæ naturæ, vere operabatur vt infans, quāuis supernaturali virtute posset operari vt vir.

Ad tertiam confirmationem respondetur, primum illud testimonium Lucæ 2. à multis Patribus exponi eodem modo de scientia, sicut de gratia, scilicet, de augmento quoad ostensionem, & operationem, quos late circumscripsimus supra q. 7. circa artic. 12. D. Tho. Secundo exponi potest, iuxta secundam conclusionem supra positam, iuxta quam loquuntur Patres, in eadem confirmatione citati.

QVÆSTIO XIII.

De potentia animæ Christi in quatuor articulos diuisa.



Inde considerandum est de potentia animæ Christi.

Et circa hoc quaruntur quatuor.

Primo, vtum habuerit omnipotentiam simpliciter.

Secundo, vtum habuerit omnipotentiam respectu immutacionis creaturarum.

Tertio, vtum habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.

Quarto, vtum habuerit omnipotentiam respectu executionis sue voluntatis.

In hac quæstione agit D. Tho. de potentia operativa, vt distinguitur ab intellectu, & voluntate, & est facultas exterius operandi aliqua actione transiunt, & præsertim agit de potentia communicata Christi humanitati ad supernaturales actiones, quāuis de potentia naturali non nihil attingat.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.



Primum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi habuerit omnipotentiam. Dicitur enim Ambrosius super Lucam. Potentiam, quam Dei Filius naturaliter habet, homo qui erat ex tempore accepturus. Sed hoc patet, quia videtur esse secundum animam, quæ est prior pars hominis. Cum ergo Filius Dei ab eterno omnipotentiam habuerit, videtur, quod anima Christi ex tempore omnipotentiam accepit.

2. Præterea, Sicut potentia Dei est infinita, ita etiam eius scientia. Sed anima Christi habet omnium scientiam, quæ sit Deus, quodammodo, vt supra dictum est. Ergo etiam habet omnium potentiam. & ita est omnipotens.

3. Præterea, Anima Christi habet omnem scientiam. Sed scientiarum quedam est practica, quedam speculatiua. Ergo habet eorū, quæ sciuntur scientiam practica, vt scilicet, sciunt facere ea, quæ sciunt. Et sic videtur, quod omnia facere possit.

Sed contra, illud, quod est proprium Dei, non potest alicui creaturæ conuenire. Sed proprium est Dei, esse omnipotentem, secundum illud Exodus 15. Iste est Deus meus, & glorificabo eum. Et postea subditur, Omnipotens nomen eius. Ergo anima Christi cum sit creatura, non habet omnipotentiam.

Respondetur dicendum, quod, sicut supra dictum est, in mysterio incarnationis ita facta est unio in persona, quod tamen remansit distinctio naturarum, vtique scilicet, natura retinente id, quod sibi est proprium. Potentia autem actiua cuiuslibet rei, sequitur formam ipsius, quæ est principium agendi. Forma autem, vel est ipsa natura rei, sicut in simplicibus: vel est constituens ipsam rei naturam, in his, scilicet,

Responsio
ad argu-
menta.

Intellectus
agens in
Christo non
fuit otiosus.